*AUTHOR:*

RIBBECK, WALTER

*TITLE:*

IN EURIPIDIS HELENAM CONIECTANEA...

*PLACE:*

BERLIN

*DATE:*

1865

Master Negative #

92-80597-12

# COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
# PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88EX3
ER Ribbeck, Walter, 1858-
Q ...In Euripidis Helenam coniectanea.scripsit W. Ribbeck ... Berlin, Krüger, 1865.
24 p. 27 x 20½ cm.

"Erster jahresbericht über das Luisenstädtische Gymnasium in Berlin."

88EE Another copy.
Z6 Volume of pamphlets.
v.,2



Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5-27-92 INITIALS SA
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

# AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

# Erster Jahresbericht

über das

# Luisenstädtische Gymnasium

in

## BERLIN.

---

**Inhalt:**



---

Berlin, 1865.
Druck von Franz Krüger, Linden-Strasze 40.

# IN EURIPIDIS HELENAM CONIECTANEA

SCRIPSIT

W. RIBBECK.

Euripidis Helenae qualis ad nostram memoriam servata est emendandae quamquam non sunt ita pauci qui operam impenderint utilissimam, nihilo tamen minus in hac eius poetae fabula unius codicis auctoritate nobis tradita ut multa leguntur, quae certa ratione numquam corrigentur, quia solus Euripides corrigere posset, si ab inferis rediret, ita haud pauciores inesse locos corruptos quicumque Euripidem noverit Cobeto excepto fatebitur, qui sint ita comparati, ut non sit iudicandus noxii quidquam quia superflui fecisse, qui postquam alii eos emendare frustra conati sint demuo quid ipse ad poetae sententiam intellegendam praestare possit fuerit expertus. Ex hoc genere hac scribendi facultate oblata in animo mihi est de nonnullis quid sentiam proferre.

1. In prologo Helena postquam exposuit Iunonem odio Alexandri motam impedivisse ne ille ipsam a Venere sibi promissam Menelai uxorem domum duceret, sed inane simulacrum aërium ex caelo illi demisisse, quod Idaeus hospes Troiam vehens veram Iovis filiam rapuisse sibi visus esset, addit his malis convenisse Iovis consilia[1]), qui cum et Terram matrem pondere ingravescente hominum multitudinis aliquantum liberaturus esset[2]) et fortissimum totius Graeciae virum gloria ornaturus, his causis arma moverit Graecorum contra Troianos. Atque ita factum esse ut nomine suo atrocissimum bellum excitaretur. Se autem ipsam a Mercurio sublatam per auras in Aegyptum esse ductam, ut Menelao lectum purum servaret. Et ita quidem dicit v. 44:

λαβὼν δέ μ' Ἑρμῆς ἐν πτυχαῖσιν αἰθέρος
νεφέλῃ καλύψας· οὐ γὰρ ἠμέλησέ μου
Ζεύς· τόνδ' ἐς οἶκον Πρωτέως ἱδρύσατο
πάντων προκρίνας σωφρονέστατον βροτῶν,
ἀκέραιον ὡς σώσαιμι Μενέλεῳ λέχος.

1) 36 τὰ δ' αὖ Διὸς βουλεύματ' ἄλλα τοῖσδε συμβαίνει κακοῖς. an legendum B. ὁλοά?
2) Hoc sumpsit Euripides ex Cypriis carminibus. Vid. Zeitschr. f. d. Gymnasialw. 1862 p. 655.

Quae qui accuratius legerit, fugere eum non poterit versum 47 praecedentibus minus apte continuari. Nam qui scripsit verba οὐ γὰρ ἠμέλησέ μου Ζεύς, is voluit a Iove Mercurium iussum fuisse Helenam ex patria tollere. Vix autem erit cui persuadeatur fieri potuisse ut Iuppiter hoc unum filio mandaret, ut ex Sparta Helenam auferret, cum tamen idem non adderet ubi terrarum abscondi eam vellet. At tantum abest ut in sequentibus huic nostrae exspectationi satis fiat, ut poeta voluisse videatur Iovem Mercurio permisisse Helenam ei tradere, quem ipse Mercurius pientissimum mortalium existimaret: dicitur enim Maiae filius Proteo illam tradidisse πάντων προκρίνας σωφρονέστατον βροτῶν versu 47, non Iuppiter Proteum pientissimum mortalium indicavisse. Iam cum credere non possimus Euripidem ipsum rem ita confudisse, quaerendum erit quo modo loco nostro medicina afferri possit.

Duas autem video medendi rationes, quarum altera simplicior, altera nihilo minus nisi fallor praestantior est. Simpliciorem rationem sequetur, cui v. 47 eiciendus esse videbitur, quo deleto nihil desideratur neque quidquam obscuri aut vitiosi relictum videri potest. Sed nescio an tota Iovis commemoratio paullo languidior hic aliena sit a poetae consilio et ab interpolatore demum ex versu 963 huc illata, ubi Menelaus Proteum defunctum rogat:

ἀπόδος, ἀπαιτῶ τὴν ἐμὴν δάμαρτά σε.
ἣν Ζεὺς ἔπεμψε δεῦρό σοι σώζειν ἐμοί.

Nam cum iam antea dictum sit Iovem bellum excitare voluisse inter Graecos et Troianos, quid opus est hoc iterum dicere? Si Iuppiter bellum illud movere constituerat, fieri non potuit quin Helenam ex hominum conspectu tollendam curaret: numquam enim Menelaus exercitum contra Paridem collegisset, si postquam ex Creta Spartam rediit uxorem domi repperisset. Dixerit fortasse aliquis poetam verbis quae sunt οὐ γὰρ ἠμέλησέ μου Ζεύς non tam significare voluisse Iove auctore Helenam domo ereptam, quam inter omnes mortales ipsum Proteum a Iove electum fuisse, cui Helena in manus traderetur, quia dubitandum non fuisset quin intactam Menelai uxorem ille servaturus esset. Qui tale quid in verbis illis inesse sibi persuaserit, ei versum 47 eiciendum esse patet, nam participium προκρίνας non potest non ad Mercurium referri.

Sed ne ita quidem omnem loci difficultatem sublatam esse videbis, si fabulam nostram perlegendo longius processeris. Etenim mirabile dictu quotquot viri docti huius fabulae verbis emendandis operam dederunt, nemodum animadvertit Helenam in hac, de qua loquimur, re narranda sibi non constare, sed diversis locis diversa referre. Vide quae dicit versibus 240 sqq.



ά δὲ χρυσέοις θρόνοις
Διὸς ὑπαγκάλισμα σεμνὸν Ἥρα
τὸν ὠκύπουν ἔπεμψε Μαιάδος γόνον,
ὅς με —
246 ἀναρπάσας δι' αἰθέρος
τάνδε γαῖαν εἰς ἄνολβον
ἔριν ἔριν τάλαιναν ἔθετο κτλ.

Et iterum versu 673:

ά Διός μ' ἄλοχος ὤλεσεν.
681 τλάμονα τλαμόνως ἐπέλασ' Αἰγύπτῳ.

Itaque duas habemus Helenae de eadem re narrationes, quarum altera fieri non potest quin supposititia sit. Quid enim causae excogitari possit, cur in prologo dicat Iove auctore se a Mercurio in Aegyptum esse latam, postea autem et choro et marito a Iunone Mercurio id mandatum esse narret?

Quae cum ita sint, ut breviter dicam quod sentio, et verba illa οὐ γὰρ ἠμέλησέ μου Ζεύς et versum 47 obelo notandum censeo, ut tota oratio sic procedat:

λαβὼν δέ μ' Ἑρμῆς ἐν πτυχαῖσιν αἰθέρος
νεφέλῃ καλύψας τόνδ' ἐς οἶκον Πρωτέως
ἱδρύσαθ', ὡς σώσαιμι Μενέλεῳ λέχος.

Nam vocabulum ἀκέραιον versus 48 nullius momenti est ac facile ab interpolatore addi poterat. Ita Iunoni soli tribuitur quod ei tribuendum est; Iuno enim vindex matrimonii est, quare et impedivit ne Paris Helenam secum abduceret et curavit ne ab alio vis Menelai coniugi afferretur. Quamquam hoc non ita intellegendum est, quasi Iuppiter prorsus non particeps fuerit consilii Helenae in Aegyptum transferendae. Immo ipse quoque constituerat eam illic abscondere, sed ut bellum inferrent Graeci Troianis, non ut uxor Menelao fidem servaret. Atque cum sit Iuppiter summus rerum mortalium rector, mirum non est quod Menelaus versu, quem iam supra memoravimus, 963 dicit a Iove Helenam Proteo missam esse, quamvis non multo ante ab ipsa uxore audierit Iunone auctore hoc esse factum. Helena autem, quae aliis locis manifesto conqueritur quod a Iunone ex patria sublata sit, in prologo nihil aliud dicere potest, quam tale quid: sese, cum Iuno prohibere voluisset id quod Venus Paridi promisisset, Iuppiter autem bellum excitare constituisset, utroque numine iubente in Aegyptum esse ductam. Atque haec sententia inerit reapse in verbis eius, si legerimus ut supra proposui; sin servantur verba οὐ γὰρ ἠμέλησέ μου Ζεύς, Iovi illud consilium tribuitur soli.

2. Teucro, qui de nomine rogatus haec dixit versu 84: εἷς τῶν Ἀχαιῶν ὦ γύναι τῶν ἀθλίων. respondet Helena: οὔτἄρα σ' Ἑλένην εἰ στυγεῖς θαυμαστέον. sed iterum quaerit illa versu 86:

ἀτὰρ τίς εἶ; πόθεν; τίνος ἐξαυδᾶν σε χρή;

Ita Kirchhoffius in codice legi docet, Hermannus 'libri .... τίνος; ἐξαυδᾶν σε χρή.' Neutram scripturam ab Euripide ortam esse patet, cum apud tragicos poetas in primo tantum senarii pede anapaestus ita admittatur, ut non sit nomine proprio effectus. Varia viri docti experti sunt. Porsonus τίνος τ'; αὐδᾶν σε χρή. alius πόθεν πότ'; L. Dindorfius τίνος. σ' αὐδᾶν ἐχρῆν. Elmsleius πόθεν; τά σ' (i. e. τὰ σά) ἐξαυδᾶν σε χρή. Pflugkius, quem recentiores secuti sunt, τίν' ἐξαυδᾶν σε χρή; Harum omnium lectionum nescio an minime probanda sit ea, quae in novissimis editionibus invenitur. Nam cum verba illa τίν' ἐξαυδᾶν σε χρή; sensu nihil differant a praecedentibus τίς εἶ, ita ut duplex sit haec Helenae quaestio, Teucer tria respondet edens non solum suum et patriae, sed etiam patris nomen:

ὄνομα μὲν ἡμῖν Τεῦκρος. ὁ δὲ φύσας πατὴρ
Τελαμών. Σαλαμὶς δὲ πατρὶς ἡ θρέψασά με.

Quam ob rem vocem τίνος in versu 86 non mutaverim, Homericus enim versus tripertitus Euripidi ante oculos fuisse videtur: τίς; πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες; quem tantum non verbum verbo expressit. Illud autem vix cuiquam erit offensioni, quod Teucri responsum non eodem ordine procedat atque Helenae quaestio, cum talia non opus sit ad amussim inter se convenire. Erat cum scribendum esse censerem: τίνος δ' αὐδᾶν σε χρή; sive τίνος ἄρ' αὐδᾶν σε χρή; sed nescio an corruptelae sedes sit in versus initio atque ita corrigendum:

τίς δ' εἶ; πόθεν; τίνος δ' ἄρ' ἐξαυδᾶν σε χρή;

sive

τίς δ' εἶ; πόθεν γῆς; τίνος ἄρ' ἐξαυδᾶν σε χρή;

sive malis ἐκ τίνος δ' αὐδᾶν κτλ.

Vehementissime cupit Helena nomen hospitis et patriam cognoscere exploratura, si quid de Menelao, de filia, de suis propinquis ab eo comperire possit. Itaque cum Teucer ad priorem quaestionem (83) nihil responderit nisi quod iam ex antecedentibus eius verbis concludi poterat (81 μισεῖ γὰρ Ἑλλὰς πᾶσα τὴν Διὸς κόρην). morae impatiens iterum quaerere incipit eisdem verbis, quibus iam in versu 83 usa est; librarius autem, ut quem variatio delectaret, initium versus mutandum esse censens scripto ἀτάρ totum versum mutilavit. Ceterum non sum nescius quattuor versus 85—88 Badhamo esse suspectos, quia his exceptis a versu 83 usque ad versum 141 Helena et Teucer singulis versibus inter se colloquantur. Sed nec



tam certa lex est quam dicunt stichomythiae, ut numquam neglegatur, neque quidquam est causae, cur Teucer nomen suum celare velit, praesertim cum postea (92. 94) et patris et fratris nomen dicere non dubitet. Nam si fuit ei causa cur nollet Helenam scire quis esset, nec Telamonis filium nec Aiacis fratrem se esse fateri debebat, cum periculum esset ne hi feminae, quae interrogaverat, non essent ignoti.

3. Deinde postquam captam esse Troiam atque Helenam a Menelao crinibus tractam in Graecorum potestatem venisse Teucer narravit, ita procedit colloquium:

117 Ε. εἶδες σὺ τὴν δύστηνον ἢ κλύων λέγεις;
Τ. ὥσπερ σέ γ', οὐδὲν ἧσσον, ὀφθαλμοῖς ὁρῶ.[1]
Ε. σκοπεῖτε μὴ δόκησιν εἴχετ' ἐκ θεῶν.
120 Τ. ἄλλου λόγου μέμνησο, μὴ κείνης ἔτι.
Ε. οὕτω δοκεῖτε[2]) τὴν δόκησιν ἀσφαλῆ;
Τ. αὐτὸς γὰρ ὄσσοις εἰδόμην. καὶ νοῦς ὁρᾷ.
Ε. ἤδη δ' ἐν οἴκοις σὺν δάμαρτι Μενέλεως;

Versum 122 talem exhibui, qualis in codice scriptus legitur. Quod Hermannus apertum esse contendit poetam scripsisse αὔτως γὰρ ὄσσοις εἰδόμην καὶ νῦν σ' ὁρῶ. nemini persuasit vir clarissimus. ὥς sive ἢ νῦν σ' ὁρῶ Dobraeus. Equidem, si hic versus emendatione dignus videtur, recepta coniectura quae est νῦν σ' ὁρῶ proposuerim:

αὐτὸς γὰρ ὄσσοις εἶδον. εἴ γε νῦν σ' ὁρῶ.[3]

Sed suspicio mihi est, hunc quoque locum ab interpolatore male habitum esse. Nam qualis quaeso sententiarum nexus! 119 *Videte ne opinione a diis decepti sitis.* T. *Rem aliam memora; ne plura de illa.* H. *Num tam certam putatis opinionem?* Ineptissime, nisi fallor, Helena e Teucro, qui eam rogavit ne de muliere illa omnibus invisa verba facere pergeret, quaerit versu 121: οὕτω δοκεῖτε τὴν δόκησιν ἀσφαλῆ; Nam sive sententiarum nexum qualemcumque inter versus 120 et 121 quaesiveris, quod Teucer Helenam iam non vult memoratam argumento non est, Graecos illam cepisse sibi videri; sive statueris Helenam rationem non habere eius, quod Teucer illi modo respondit, quia in eam rem solam intenta sit, quam ipsa in mente habeat, hoc certe ab ea postulandum est, ut dicat quod et per se intellegi aliquo modo possit et cum versu 119 cohaereat, i. e. quo novi aliquid sententiae illius addatur. Sed tale quid eam dicere versu 121 vereor ut quis demonstrare

1) ὁρῶν Hermannus. ὥσπερ σ' ἐγὼ οὐδὲν κτλ. Cobetus.
2) οὕτω 'δοκεῖτε post Badhamum Kirchhoffius.
3) εἶδον, ὡς σὲ νῦν ὁρῶ Cobetus.

possit. Immo totus hic versus mera repetitio est eius sententiae, quae iam versu 119 est expressa. Repetitio autem ut sit mater studiorum, tamen non est nexus sententiarum. At consulto poeta sententiam repetisse videtur. Audio: sed quid quaeso efficitur hac repetitione? Nihil nisi ut Teuçer ipse quoque iterum dicat, quod iam versu 118 respondit Helenae interroganti, utrum ipse captivam Menelai uxorem viderit an captam esse tantum audierit. En bonum poetam, qui satis fecisse sibi non videtur, nisi binas sententias bis expresserit! Laudarem repetitionem, si Teucer ea moveretur ut interrogaret mulierem mirabiliter suspiciosam, quid esset quod dubitaret num vera ei rettulisset; iam cum nihil eius modi sequatur, facere non possum quin reprehendam. Quid multa? lege versum 123 post versum 120, et optime omnia se habebunt:

Τ. ἄλλου λόγου μέμνησο, μὴ κείνης ἔτι.
Ε. ἤδη δ' ἐν οἴκοις σὺν δάμαρτι Μενέλεως;

4. Sed etiam in sequentibus sunt quae suspicionem nostram moveant.

124 Τ. οὔκουν ἐν Ἄργει γ' [1]) οὐδ' ἐπ' Εὐρώτα ῥοαῖς.
Ε. αἶ αἶ κακὸν τόδ' εἶπας οἷς κακὸν λέγεις.
Τ. ὡς κεῖνος ἀφανὴς σὺν δάμαρτι κλῄζεται.
Ε. οὐ πᾶσι πορθμὸς αὐτὸς Ἀργείοισιν ἦν;

Domi est Menelaus, si Spartam rediit; Argi domus eius non est. Quaerendum igitur quo modo fiat ut Teucer interrogatus num domi sit Menelaus cum uxore neget eum Argi aut ad ripas Eurotae esse. Versum 125 ita interpretatur Pflugkius, ut Helena sibi ipsi mali aliquid accidisse dicat. Merito vituperat Pflugkium Hermannus, qui Menelaum significari verbis οἷς κακὸν λέγεις docuit recte animadvertens illud potius Helenae malum futurum fuisse, si Menelaus cum uxoris simulacro domum iam revertisset. Quae interpretatio Nauckio impedimento non fuit quin in hoc versu mendam aliquam inesse iudicaret atque paullo audacius scribendum proponeret οἷς συμβὰν λέγεις, cui Rauchensteinius nuper in Philologo (XXII p. 193) substituit οἷς παρὸν λέγεις. Nobis ipsa Hermanni interpretatione, qua procul dubio sententia recte illustratur, doceri videtur versum ineptum esse. Nam accuratius re perpensa ne Menelao quidem incommodo est quod domum nondum rediit, quia si iam redisset spes nulla esset fore ut veram uxorem ad Nilum latere certior fieret. Si redierat Spartam neque dis auctoribus ad Aegyptum appulerat Helenam repetitum, nihil erat quod umquam eum venturum esse Helena exspectaret. Denique de versu 126 altum quidem silentium apud omnes editores,

1) Ἄργει οὐδ' ante Musgravium.



nisi quod eidem Nauckio verba ὡς κεῖνος suspecta sunt; sed praeterquam quod huic in eo assentior, cum neque ὡς particula nec pronomen κεῖνος quid sibi velit facile quisquam intellegat, quae sic tantum suo loco hic posita essent, si talia legerentur:

ὡς κεῖνος, ἀφανὴς χἡ δάμαρ πλωΐζεται —

plane non video quaenam sit totius versus sententia. Docet Teucer *perhiberi Menelaum, postquam Troiam reliquisset, in nullius conspectum venisse.* Sed quo modo potuit perhiberi Menelaus latere? aut redierat ad suos, aut nondum redierat; utrumque fieri non poterat quin Teucer certe sciret. Itaque γίγνεται aut simile quid, non κλῄζεται dictum oportebat. Interpolati esse mihi videntur versus 124 sq. (cf. 162 Εὐρώτα ῥοάς 493 ῥοαὶ . . . Εὐρώτα); pro versu 126, quem corrupit interpolator, olim fortasse haec legebantur:

οὐκ ἀλλ' ἔτ' ἀφανὴς σὺν Ἑλένῃ πλωΐζεται.

(cf. σὺν δάμαρτι 123 κλῄζεται 132.)

5. Transimus ad alium locum. Inde a versu 254 cantu lugubri finito Helena senariis iambicis edere pergit querimonias de tristissima sua fortuna. Monstrum se a matre procreatam, nec cum omnis spes sibi erepta sit fore ut a Menelao domum reducatur, quidquam reliquum sibi esse nisi ut mortem sibi consciscat:

254 φίλαι γυναῖκες τίνι πότμῳ συνεζύγην;
ἆρ' ἡ τεκοῦσά μ' ἔτεκεν ἀνθρώποις τέρας;
γυνὴ γὰρ οὔθ' ἑλληνὶς οὔτε βάρβαρος
τεῦχος νεοσσῶν λευκὸν ἐκλοχεύεται,
ἐν ᾧ με Λήδαν φασὶν ἐκ Διὸς τεκεῖν.
τέρας γὰρ ὁ βίος [1]) καὶ τὰ πράγματ' ἐστί μοι
τὰ μὲν δι' Ἥραν, τὰ δὲ τὸ κάλλος αἴτιον.
εἴθ' ἐξαλειφθεῖσ' ὡς ἄγαλμ' αὖθις πάλιν
αἴσχιον εἶδος ἀντὶ τοῦ καλοῦ λάβοιν [2]),
καὶ τὰς τύχας μὲν τὰς κακάς [3]), ἃς νῦν ἔχω,
Ἕλληνες ἐπελάθοντο, τὰς δὲ μὴ κακὰς [3])
ἔσωζον, ὥσπερ τὰς κακὰς σῴζουσί μου.
ὅστις μὲν οὖν εἰς μίαν ἀποβλέπων τύχην
πρὸς θεῶν κακοῦται, βαρὺ μέν, οἰστέον δ' ὅμως·

1) τέρας δ' ὁ βίοτος Kirchhoffius propter versum 256, 'nisi vv. 256—258 pro spuriis habere malis cum Badhamio'. Fortasse sufficit τέρας δ' ἄρ' ὁ βίος.

2) λαβεῖν (γρ. λάβω) cod. λάβω vulgo. Ἔλαβον cum Porsono Kirchhoffius, λάβοιν cum Hermanno Nauckius.

3) καλάς ante Musgravium.

ἡμεῖς δὲ πολλαῖς συμφοραῖς ἐγκείμεθα.
πρῶτον μὲν κτλ.

Ut in tantas calamitates incideret factum esse dicit partim Iunonis opera, partim in causa fuisse suam ipsius formam. Recte quidem, nam cum forma eius Paris permotus esset ut Spartam proficisceretur, Iuno in Aegypto eam abscondendam curavit, quod impedimento fuisse videtur ne post Troiam captam una cum Menelao domum rediret. Quam ob rem formam sibi perniciosam exsecrari minime dubitans optat ut pulchritudine sua tabulae modo exstincta turpem formam induere sibi liceat et ut Graeci malorum, quibus nunc impedita sit, obliti bonae suae fortunae, i. e. fidei erga maritum servatae meminerint. Hermannus haec sic interpretatur: in mente eam habere *facile se passuram, si sibi eripiatur haec forma, si modo oblivisci malae suae famae, meminisse autem fidei erga maritum Graeci possent.* Sed illud *si modo* frustra in poetae verbis quaeres, cum legatur in versu 263 καὶ τὰς τύχας κτλ., quo nisi fallor id significatur: si fieri posset ut turpem formam pro pulchra acciperet, tum Graecos malae suae famae oblituros esse. Quod non recte Helenam exspectare apparet; ego certe intellegere nequeo, quo modo corrupta eius forma effici potuerit ut Graeci eam laudarent. Praeterea utcumque illud καί intellexeris, ineptissimum est Helenae votum. Nam cum in Aegypto lateat neque quisquam Graecorum ne suspicari quidem possit, ubi terrarum vera Menelai uxor fidei erga maritum servandae causa a diis abscondita sit, quia nemo non persuasum habet ipsam a Paride Troiam esse ductam, ne mutatae quidem formae eius fama ad eos ferri potest, sin autem posset, quis esset qui crederet? Immo vel si turpis vetula a Theoclymeno iam non eius amante ex Aegypto Spartam missa se Helenam esse neque umquam Troiae fuisse contendisset, non dubito quin eum omnes Graeci tum Menelaus multo cum risu exceptam non sanae mentis iudicaturi fuerint. Quae cum ita sint, non video quo modo versus 263 cum antecedente cohaereat. Contra si abessent tres versus 263—265, nihil esset quod offenderet. Tristissimos profecto Teucer nuntios Helenae attulit: matrem voluntariam mortem obisse, quod filiae ignominiae eam puderet, Menelaum autem mortuum putari (132). Quid mirum quod ipsa quoque maerore et pudore perculsa eo desperationis progreditur, ut formae eam pigeat, unde tota eius domus miserrima ruina oppressa videatur, atque ut si fieri possit hanc exuere malit, ne diutius causa tot malorum in mentem sibi revocetur?

Nunc velim animum attendas ad postremos huius Helenae orationis versus. Decedere vita optimum sibi esse cum intellexerit, statuit mucrone se occidere, quae et honestissima et brevissima mors sit. Addit se in summas calamitates



incidisse: quae enim aliis feminis commodo esset, pulchritudinem sibi perniciosam fuisse.

300 σφαγαὶ δ᾽ ἔχουσιν εὐγενές τι καὶ καλόν.
σμικρὸς[1]) δ᾽ ὁ καιρὸς ἄρτ᾽[2]) ἀπαλλάξαι βίου.
εἰς γὰρ τοσοῦτον ἤλθομεν βάθος κακῶν·
αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι διὰ τὸ κάλλος εὐτυχεῖς
γυναῖκες, ἡμᾶς δ᾽ αὐτὸ τοῦτ᾽ ἀπώλεσεν.

Nexum sententiarum hic quoque desidero. Quod enim postremis tribus versibus significatur, hoc impellitur Helena ut mori cupiat; sed cur vivere diutius nolit iam satis superque explicavit, neque hoc in fine orationis exspectamus. Longe aptius hi tres versus post versum 262 leguntur; nam re vera causam continent, cur optet Iovis filia ut si fieri possit forma sua in turpitudinem mutetur.

261 εἴθ᾽ ἐξαλειφθεῖσ᾽ ὡς ἄγαλμ᾽ αὖθις πάλιν
αἴσχιον εἶδος ἀντὶ τοῦ καλοῦ λάβοιν.
302 εἰς γὰρ τοσοῦτον ἤλθομεν βάθος κακῶν κτλ.

Videndum autem ne hic potius ordo sit genuinus:

259 τέρας δ᾽ ἄρ᾽ ὁ βίος καὶ τὰ πράγματ᾽ ἐστί μοι·
302 εἰς γὰρ τοσοῦτον ἤλθομεν βάθος κακῶν
260 τὰ μὲν δι᾽ Ἥραν, τὰ δὲ τὸ κάλλος αἴτιον.
εἴθ᾽ ἐξαλειφθεῖσ᾽ ὡς ἄγαλμ᾽ αὖθις πάλιν
αἴσχιον εἶδος ἀντὶ τοῦ καλοῦ λάβοιν.
303 αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι διὰ τὸ κάλλος εὐτυχεῖς
γυναῖκες, ἡμᾶς δ᾽ αὐτὸ τοῦτ᾽ ἀπώλεσεν.
266 ὅστις μὲν οὖν κτλ.

Contra versuum 263—265 sententia, quibus sensum illius loci mirum quantum turbari demonstrasse mihi videor, tota oratio optime finiretur. Nam aptissime tum Helena in fine orationis adderet, quid voluntaria sua nece effectum iri exspectaret. Hoc autem non esset quod miraremur, sperare Helenam Graecos cognito suo interitu intellecturos esse se numquam Troiae fuisse atque mutaturos de se iudicium. Multo facilius fieri potuit ut Helenam in Aegypto letum sibi conscivisse Graeci non solum audirent sed etiam crederent, quam formosam Helenam factam esse turpem. Certe si mortuam esse in domo Theoclymeni fama apud Graecos percrebuit, dubitare potuerunt num vere Menelai uxorem Troiae

---

1) σμικρὸν ante Badhamum.
2) κάρτ᾽ Boissonadus. ἄρθρ᾽ Car. Keilius. σάρκ᾽ Hermannus. κρᾶτ᾽ post Keilium Nauckius.

cepissent. Sed fatendum est non posse subiungi illos versus versui 301, nisi ita fere mutentur:

καὶ τὰς τύχας μὲν τὰς κακάς, ἃς νῦν ἔχω,
Ἕλληνες ἐπιλάθοιντ' ἄν, αἳ δὲ μὴ κακαί,
σώζοιεν ὥσπερ τὰς κακὰς σώζουσί μου.

Quamquam ne sic quidem verba satis commode iunguntur, neque contenderim hoc ordine ea posita esse ab Euripide. Est enim alius locus Helenae orationis, in quem nihil mutati nisi addita particula ἄν post verbum ἐπελάθοντο versus nostri optime quadrent et unde sublatos eos esse a librario existimo; atque restitutus esse genuinus ordo versuum mihi videbitur, si huc eos revocaveris:

289 εἰ μὲν γὰρ ἔζη πόσις, ἀνεγνώσθημεν ἂν
εἰς ξύμβολ' ἐλθόντες, ἃ φανερὰ [1]) μόνοις ἂν ἦν.
263 καὶ τὰς τύχας μὲν τὰς κακάς, ἃς νῦν ἔχω,
Ἕλληνες ἐπελάθοντ' ἄν, τὰς δὲ μὴ κακὰς
ἔσωζον ὥσπερ τὰς κακὰς σώζουσί μου.
291 νῦν δ' οὔτε τοῦτ' ἔστ' οὔτε μὴ σωθῇ [2]) ποτε.

6. Ceterum in tota hac Helenae oratione cum multa alia sunt corrupta necdum sanata tum duo versus exspectant medellam, qui iam multo viris doctis labori fuerunt, 288 et 296.

286 τὸ δ' ἔσχατον τοῦτ'. εἰ μόλοιμεν εἰς πάτραν,
κλείθροις ἂν εἰργοίμεσθα, τὴν ὑπ' Ἰλίῳ [3])
δοκοῦντες Ἑλένην Μενέλεῳ μ' ἐλθεῖν μέτα.

*Postremum* inquit *si in patriam redirem, vinculis mandarer; dicerent enim Helenam, quae Troiae fuisset, non sine Menelao venturam fuisse.* Haec verborum sententia, quae tamen in tradita lectione haud ita facile agnoscitur. Deest enim particula ἄν, qua hic vix carere possimus. Quapropter Lentingius scribi volebat Μενέλεών μ' ἐλθεῖν μέτα i. e. τὸν Μενέλεων μετελθεῖν ἐμέ *indicantes Menelaum ad Helenam repetendam profectum esse, itaque non posse Helenam sine Menelao in patriam redire.* Non recte Hermannus huic interpretationi opponit non putasse, sed scivisse Spartanos Menelaum ad repetendam Helenam profectum esse; nam re vera Menelaus non

1) ἐλθόντες εἰς ξύμβολ', ἃ Reisigius. ἐλθόνθ' ἃ φανέρ' ἂν μ. cum Porsono Hermannus. ἐλθόνθ', ἃν φανερὰ μ. Seidlerus. Male Rauchensteinius in Philologo (XXII p. 193) ἐλθόνθ', οἷς φανερὰ μόνοις ἂν ἦν, ut sit φανερά feminini generis, cum anapaesto (non proprii nominis) in quarto pede. Ceterum cf. Hom. ψ 108 ἦ μάλα νῶι Γνωσόμεθ' ἀλλήλων καὶ λώιον· ἔστι γὰρ ἡμῖν Σήμαθ', ἃ δὴ καὶ νῶι κεκρυμμένα ἴδμεν ἀπ' ἄλλων.

2) σωθῶ Badhamus. 'an δοθῇ?' Nauckius.

3) ἀπ' Ἰλίου Nauckius.



ad Helenam repetendam profectus erat, cum simulacrum Helenae Paris secum abduxisset. Sed praeterquam quod pronomen με Lentingii coniectura probata delendum est, non possunt dici *putare* Spartani Menelaum repetisse eam Helenam, quae *sub Ilio* fuisset, nam eam Helenam reapse Menelaus capturus fuerat et sciebant Spartani hac causa eum arma movisse. Heathius Μενέλεῴ γ' ἐλθεῖν μέτα, sed non potest γε pro ἄν substitui. Kirchhoffius, cui etiam anacoluthia displicet, cum participium δοκοῦντες ita positum sit, quasi praecesserit εἴργοιεν ἄν με, mutavit δοκοῦντες in δοκοῦν γ' ἄν, ut scribatur:

τὴν ὑπ' Ἰλίῳ
δοκοῦν γ' ἂν Ἑλένην Μενέλεῴ μ' ἐλθεῖν μέτα.

Quibus verbis nescio an vir clarissimus hanc sententiam inesse sibi persuaserit: *cum manifestum sit, si vera essem Helena, me cum Menelao venturam fuisse*, sed vereor ut aliis persuaserit, nam pronomine με ut apud Lentingium sensus turbatur. Sane ἡ ὑπ' Ἰλίῳ Ἑλένη populo Spartanorum iudice vera est Helena, sed τὴν ὑ. Ἰ. Ἑλένην non potest dici pro condicione εἰ ἦν ἐγὼ Ἑλένη ἡ ὑπ' Ἰλίῳ. Cum autem ne alii quidem interpretes loco medicinam attulerint [1]), quaerenti mihi quo modo sanari possit in mentem venit corruptelae sedem fortasse in nomine Μενέλεῳ inesse; fieri enim potuisse ut librarius nomen proprium adscriberet, cum poeta usus fuisset appellativo, cui vis subesset coniugis. Quod si non inepte est excogitatum [2]), fortasse sic emendandum esse mecum putabis:

τὴν ὑπ' Ἰλίῳ
δοκοῦντες Ἑλένην ἂν πόσιος ἐλθεῖν μέτα

sive partim cum Kirchhoffio

δοκοῦν γ' ἂν Ἑλένην τοῦ πόσιος ἐλθεῖν μέτα.

Pronomen με tum hiatus vitandi causa adiectum est.

7. Alter quem supra indicavi locus ita scribitur:

295 ἀλλ' ὅταν πόσις πικρὸς
ξυνῇ γυναικί, καὶ τὸ σῶμ' ἐστὶν πικρόν.

1) Rauchensteinius in Philologo l. l. partim cum Nauckio εἴρξαιέν με τὴν ἀπ' Ἰλίου Δοκοῦντες Ἑλένην Μενέλεων ἐλθεῖν μέτα, quod ita interpretatur: putare Helenam Graecos, si domum redierit, graviter laturos quod nunc Paride exstincto in prioris mariti gratiam redire cupiat. Sed delirassent Lacedaemonii, si propter hanc rem in vincula eam coniecissent.

2) Item in versu 283 nescio an legendum sit τὼ τοῦ πατρὸς δὲ λεγομένω Διοσκόρω pro vulgato Διός. Aliquanto certius in Iphigeniae Aulidensis versu 708 reponendum μήτηρ δ' ἔθρεψεν ἢ πατὴρ Ἀχιλλέα; pro vulgato Θέτις δ' κτλ. Nam cum Agamemno Clytaemnestram unum hoc docuerit versu 701, unam ex Nerei filiabus nupsisse Peleo (chorus quinquaginta Nereidum etiam in hac fabula memoratur v. 1056): ὁ Πηλεὺς δ' ἔσχε Νηρέως κόρην, nescio unde post septem versus illa Thetidis nomen comperisse possit.

Quaerit Helena in antecedentibus, ad quam sortem di se servaverint, atque ipsa respondet: *ut cum barbaro marito mensa utar exquisita* (μετ' ἀνδρὸς οἰκεῖν βαρβάρου πρὸς πλουσίαν Τράπεζαν ἵζουσα), tum addit quae supra exscripsi, quae tamen corrupta esse patet. Quod Scaliger hic temptavit καὶ τὸ δῶμ' ἐστὶν πικρόν, longe a vero aberravit, nam πλουσίαν τράπεζαν amaram esse mulieri, quae amaro marito nupsisset, erat dicendum. Nec magis placet Matthiaei coniectura καὶ τὸ σώζεσθαι πικρόν, nec quod a Seidlero positum Hermannus recepit καὶ τὸ σῶν ἐστὶν πικρόν. Neque enim satis est vitam Helenae esse molestam, sed luxuriosae vitae se taedere dicit marito Theoclymeno. Quam ob rem fortasse erunt quibus probetur:

καὶ τὸ βρῶμ' ἐστὶν πικρόν.

8. Menelaus cum ex eis, quae nuntius narravit inde a versu 598, intellexerit veram Helenam Troiae non fuisse, sed nunc demum sibi inventam esse, accipit ab illa quod Teucer rettulit (133 sqq.) Ledam suspendio se necavisse:

685 οὐκ ἔστιν μάτηρ· ἀγχόνιον βρόχον
δι' ἐμὲ κατεδήσατο δύσγαμος αἰσχύνᾳ.[1])

Ita cum appareat Helenam certiorem esse factam a quocumque quid domi accidisset, mirum non est quod ille plura scire cupiens haud cunctanter interrogat:

687 ὤμοι· θυγατρὸς δ' Ἑρμιόνης ἔστιν βίος;

Sed maxime mirum quod respondet Helena versu proximo:

ἄγαμος ἄτεκνος ὦ πόσι καταστένει
γάμον ἄγαμον αἰσχύνᾳ.[2])

Mirum dico, quia nemo quantulumcumque matri de Hermiona narravit; nam Teucer, praeter quem neminem popularem Helena in Aegypto vidit, ne verbum quidem de Hermiona dixit. Itaque negandum erat Helenae se scire utrum filia esset superstes an supremum diem ipsa quoque iam obisset, non affirmandum quod nesciret. Interpolavit sine dubio versus 688 sq. nescio quis, qui aegre ferebat quod Menelaus exclamat versu 690: ὦ πᾶν κατ' ἄκρας δῶμ' ἐμὸν πέρσας Πάρις — neque enim totam eius domum esse eversam mortua una matre Helenae. Sed ne post Hermionae quidem innuptae mortem tota Menelai domus erat eversa, cum viveret Megapenthes filius quamvis ex serva prognatus. Praeterea satis inest causae in genere mortis turpissimo, quo Ledam interiisse, atque in eo quod

1) αἰσχύναν ante Hermannum. δύσγαμον Brodaeus. δύσμορος Nauckius.

2) Sic edd. αἰσχύνα (supra: αν) cod. ἄγαμον αἰσχύναν Matthiaeus deleto γάμον. γάμων ἀγάμων αἰσχύναν Musgravius. γάμον ἐμὸν ἄγαμον deleto verbo ultimo (cf. 686) Lud. Dindorfius. γάμον ἄγαμον ἐμόν Hermannus.



filiae ignominia motam esse nuntiatum est ut vita decederet, satis dico causae in his rebus inesse cur Menelaus utatur illis verbis.

9. Sed id egisse videtur interpolator ut hunc de Hermionae sorte tristissima questum bis legamus. Namque in oratione illa, qua Helena postquam Teucer abiit quae ab hoc ei nuntiata sunt choro iterum exponit (cf. 194 sqq.), mortuos Menelaum Ledam Castorem et Pollucem, duo sunt versus eiusdem argumenti, quos si scripsit Euripides, haud optime operi suo consuluit. Intericit ibi Helena inter ea, quae de matre et de fratribus dicit, hanc de filia querellam:

281 ὃ δ' ἀγλάισμα δωμάτων ἐμοῦ τ' ἔφυ,
θυγάτηρ ἄνανδρος πολιὰ παρθενεύεται.

Rectissime Hermannus animadvertit adverbio πολιά locum hic non esse, cum nec iuvenes quisquam μελάνως seu dis placet μέλανα ἡβᾶν nec senem λευκῶς γηράσκειν dixerit, atque corrigebat πολιὰ παρθενεύματα. Sed nego hic opus esse emendatione, cum ab eodem hi versus interiecti esse videantur, cuius sunt 688 sq. Cf. v. 11 τὸ μητρὸς ἀγλάισμ', ὅτ' ἦν βρέφος.

Aliter se res habet, ubi Helena versu 932 Theonoam rogans ut fratrem celet Menelai adventum, si hoc fecerit illa, nihil impediturum esse sperat ne in patriam cum marito redux ignominia sublata filiae nuptias celebret:

ἑδνώσομαί τε θυγατέρ', ἣν οὐδεὶς γαμεῖ.

Nam hoc quidem recte exspectat, quoad ipsa mala fama utatur, neminem Hermionam in matrimonium ducturum esse; sed hanc exspectationem non potest ita prae se ferre, quasi per nuntium de ea certior sit facta. Quod non intellegens interpolator propter versum 932 periclitatus est vires ingenii versibus procudendis, quos supra indicavi.

10. Versum 562 Marklandus ex Aristoph. Thesm. 907 reddidit Euripidi, cum in codice non legatur, quo uno fabula nostra continetur. Sed corrigere idem debebat, quod apud Aristophanem non recte legi videtur. Colloquuntur inter se Menelaus et Helena, quae domo progressa maritum conspexit turbatum mulieris visu:

560 Μ. οὐπώποτ' εἶδον προσφερέστερον δέμας.
Ε. ὦ θεοί· θεὸς γὰρ καὶ τὸ γινώσκειν φίλους.
Μ. ἑλληνὶς εἶ τις ἢ 'πιχωρία γυνή;
Ε. ἑλληνίς· ἀλλὰ καὶ τὸ σὸν θέλω μαθεῖν.
Μ. Ἑλένῃ σ' ὁμοίαν δὴ μάλιστ' εἶδον γύναι.

Ad versum 563 iam Fritzschius conferri iussit Tro. 63, ubi Neptunus a Minerva interrogatus num se iuvare velit in perficiendo quod agat respondet:

μάλιστ'· ἀτὰρ δὴ καὶ τὸ σὸν θέλω μαθεῖν.

Illic verbis τὸ σόν rectissime significatur *quod factura es;* sed num eisdem verbis possit significari *unde sis oriundus* dubito. Reponendum videtur:

ἑλληνὶς εἶ τις ἢ 'πιχωρία γένος;

11. Theonoe Menelao referre non dubitat Venerem nolle eum cum Helena Spartam redire:

884 ὡς μὴ 'ξελεγχθῇ μηδὲ πριαμένη φανῇ
τὸ κάλλος 'Ελένης οὕνεκ' ὠνητοῖς γάμοις.

Quod in versu 885 etiam Nauckius posuit, ὠνητοῖς γάμοις sensu caret propter duas res. Nam primum quidem vix dici possit Venus emisse formae victoriam *emptis nuptiis*[1]). Emit quidem Paris sive potius emere sibi videbatur nuptias Helenae formae victoria Veneri adiudicata. Sed quis Graecorum scriptorum praeter sophistarum genus tanta umquam loquacitate usus est, ut significaturus aliquem dedisse aliquam rem alteri, hunc alterum illi pro ea re aliam rem dedisse, diceret non dico emisse utrumque, sed emisse alterum aliquid *empta re?* Si hoc dicendi genus crebresceret, audiremus prope diem libros nos emere empta pecunia; nam ut nos emimus libros, ita bibliopola emit pecuniam libris vendendis. — Paullo gravior altera res est, qua corruptam esse vocem ὠνητοῖς demonstratur. Neque enim tradita lectione quidquam significatur, quod metuendum erat Veneri ne pateficret redeunte Menelao Spartam. Nam hoc quidem iam diu omnes sciebant, Veneri ab Alexandro palmam tributam fuisse, quia Helenam se ei daturam esse pollicita esset. Sed non effecisse eam quod voluerat, Helenam a dis in Aegypto asservatam, Alexandrum vana specie deceptum fuisse, hoc latebat quoad Menelaus uxorem domum reduceret. Itaque hic erat Veneris timor, ne victum esse suum numen a Iunone homines cognoscerent. Alia sententia si ulla est in loco nostro inesse non potest. Quae cum tradita lectione non exprimatur, Hermannus Piersono auctore vocem ὠνητοῖς in ἀνονήτοις mutavit. Sed ne sic quidem id dicitur, quod dictu opus est. Nam inutile connubium, quo utebatur, Alexandro minime erat: immo cum putaret Helena se potitum esse neque quisquam id dubitaret, non minor eius voluptas erat quam si re vera illam accepisset. Quod Kirchhoffius autem mavult ὠνητὸν γάμοις, cum voce πριαμένη iam expressum maxime languet tum ob eandem causam ab Euripide scriptum esse non potest, propter quam Piersonus corrigebat ἀνονήτοις.

1) Mire Hermannus, cui vulgata ὠνητοῖς et ipsi non probatur, talibus eam expellere conatur: 'nam emptam a Venere esse formae victoriam constabat; illud autem pudori erat, quod non assequuta esset, quod voluerat'. Venerem quidquam emisse verbo ὠνητοῖς exprimi nemo umquam contenderat, itaque prius illud nullius argumenti est.



Itaque aliud temptandum est. Cui autem cognitum erit quotiens οὕνεκα et ἕνεκα in libris veteribus inter se commutentur, is mecum non dubitabit quin reponendum sit:

μηδὲ πριαμένη φανῇ
τὸ κάλλος 'Ελένης ἕνεκ' ἀνηνύτοις[1]) γάμοις.

12. Eandem rem ipsa Helena versibus 928 sqq. aliter exprimit, quorum primus mancus in codice scriptus est:

ἢν δ' 'Ελλάδ' ἔλθω κἀπιβῶ Σπάρτης ⏑ —,
κλύοντες εἰσιδόντες ὡς τέχναις θεῶν
ὤλοντ', ἐγὼ δὲ προδότις οὐκ ἄρ' ἦν φίλων,
πάλιν μ' ἀνάξουσ' εἰς τὸ σῶφρον αὖθις αὖ κτλ.

Quod vulgo legitur in fine versus 928 πάλιν Kirchhoffius docuit in Parisino altero apographo manu secunda ex coniectura suppletum ab Aldo receptum esse. Displicet propter versum 931, ubi adverbium πάλιν iterum positum offendit. Magis etiam displicet ποτέ, quo addito Nauckius textum corrigere sibi videtur. Nam non aliquando, sed mox, primo quoque tempore Helena Spartam vehi cupit. Praestat ac fortasse scriptum est a poeta Σπάρτης πέδον. cf. Πιερίην δ' ἐπιβάς Hom. ε 50. λειμῶν' ἐπιβάντα Soph. Ai. 144. οὐράνιον ἕδρανον ἐπιβεβώς Eur. Tro. 1078.

13. Theoclymenus Helenam deprecatus ne ipsa quoque navem conscenderet, qua Menelaus regi incognitus altum petiturus est, ut sua ipsius parentalia celebret, quod timor sibi esset ne nimio prioris mariti desiderio mota in mare se proriperet, addit versu 1399:

ἄγαν γὰρ αὐτὸν οὐ παρόνθ' ὅμως στένεις.

En bonam orationem! *Quamvis Menelaus non adsit, nimis eum luges.* Non solent homines lugere mortuos, quamvis vita hi excesserint, sed quia familiaritate eorum uti iam non licet. Mutandum sine dubio:

ἄγαν γὰρ αὐτὸν οὐ παρόνθ' ὅσον στένεις

*nimium est quantum eum luges*, sive potius:

ἄγαν γὰρ αὐτὸν οὐκέτ' ὄνθ' ὅσον[2]) στένεις.

Posuit librarius οὐ παρόντα memor versuum 1394 sq., in quo utroque poeta utitur verbo παρεῖναι huic versui minus apto.

1) Possis etiam ἕνεκα ποιητοῖς γ., sed quod supra dedi propius est traditae lectioni. Utrumque longe praestare mihi videtur ei, quod Rauchensteinius finxit (Mus. Rhen. XVII 460. Philol. l. l.), 'Ελένην δοῦσα μωμητοῖς γάμοις.

2) Nisi malis οὕτω στένεις. El. 1105 καὶ γὰρ οὐχ οὕτως ἄγαν Χαίρω.

14. Qui Theoclymeno nuntium affert fugae hospitis cum Menelao perfectae servus regius, narrat Menelaum, postquam bovis immolati cruore ex optato fluente felix reditus ei significatus esset, milites suos iussisse barbaros occidere et ex nave eicere; tum autem κελευστὴν contrariam vocem edidisse:

1598 οὐκ εἶ' ὃ μέν τις[1]) λοῖσθον ἀρεῖται[2]) δόρυ,
ὃ δὲ ζύγ' ἄξας, ὃ δ' ἀφελὼν σκαλμοῦ πλάτην
καθαιματώσει κρᾶτα πολεμίων ξένων;

Vocem λοῖσθος non inveniri apud tragicos poetas Hermannus fatetur nisi apud Sophoclem in Oed. Col. 583, 'ubi fluctuat scriptura' (τὰ λοίσθι' αἰτῇ. γρ. τὰ λοῖσθ' ἄρ' αἰτῇ) et in Philoctetae ad Troiam fr. 1, ubi tamen Nauckius (fr. 631) non male scripsit ἀλλ' ἔσθ' ὁ θάνατος λῷστος (pro eo quod traditum est, λοῖσθος) ἰατρὸς νόσων. *Ultimam si quae forte relicta sit hastam rapi* hominem iubere idem Hermannus interpretationis causa addit. Sed quis quaeso hastas ex nave abstulit, ut ultimam si quae forte relicta sit rapi homo iubeat? Tale quid nusquam traditum habemus. Immo inermes Aegyptii navem armis non exstructam conscenderunt comitantibus paucis satellitibus regiis, quos hastatos Euripidem voluisse ex eo intellegimus, quod hic iubentur *alii* suprema hasta uti, *alii* transtris confractis remisque paxillis exsolutis telorum loco adversus hostes se defendere. Quid igitur significatur vocabulo λοῖσθον? Vix aliud quidquam, nisi prorsus nulla posthac hasta se defensuros esse quibus nunc cum Graecis pugnandum sit, quia haud multo post sint morituri. Sed vereor ut haec sententia multis probetur. Eo enim veri simile non erat animos servis auctum iri, si fieri non posse quin a Graecis interficerentur monebantur, cum servis Aegyptiis non idem quod Leonidae cum suis esset adhortationi. Fortasse ob hanc causam Nauckio λοῖσθος corruptum videtur esse, qui Taeuberum pro hoc vocabulo ξυστὸν coniecisse memoriae prodit.[3]) Haud longius a tradita lectione recedemus, sed nescio an praestantiorem sententiam habebimus, si scripserimus:

οὐκ εἶ' ὃ μέν τις πρόσθεν ἀρεῖται δόρυ;

*nonne antea* (scil. quam hostes nos omnes interficiant) *hastis utemini?*

15. Dioscuri suadent Theoclymeno ne nimis aegre ferat quod Helena sibi erepta sit; deorum enim consilio fuisse constitutum ne diutius illa in Aegypto moraretur, quam fieri posset ut Menelao restitueretur.

1) γρ. οὗ | κουν ἤ μέ τις cod.
2) αἱρεῖται ante Elmsleium.
3) θραυσθέν Hartungius. πριστόν Rauchensteinius. Quorum neutrum huc quadrat.



1651 εἰς[1]) μὲν γὰρ ἀεὶ τὸν παρόντα νῦν χρόνον
κείνην κατοικεῖν σοῖσιν ἐν δόμοις ἐχρῆν·
ἐπεὶ δὲ Τροίας ἐξανεστάθη βάθρα
καὶ τοῖς θεοῖς παρέσχε τοὔνομ' οὐκέτι,
1655 ἐν τοῖσιν αὑτῆς[2]) δεῖ νιν ἐξεῦχθαι γάμοις
ἐλθεῖν τ'[3]) ἐς οἴκους καὶ συνοικῆσαι πόσει.

Duo sunt in his vitia, quibus Euripidem liberare non nimii laboris est. Nam in versu 1651 quid est εἰς ἀεὶ τὸν νῦν χρόνον sive ἀεὶ εἰς τὸν νῦν χρόνον? Quod sententiae loci idoneum est, restituitur mutato adverbio ἀεί in pronomen αὐτόν: *usque ad hoc ipsum tempus* Helenae manendum erat in Aegypto. Difficilior emendatu v. 1654. In codice legitur παρέσχετ' οὔνομα οὐκέτι. vetustissimae edd. habent οὔνομα. οὐκέτι — quod Barnesius scripsit οὔνομ', οὐκέτι. Hervagiana 2 παρέσχε τ' οὔνομα i. e. τοὔνομα, quod ab Hermanno est receptum. Deinde nulla interpunctione posita inter versus 1654 et 1655 legebatur οὐκέτι 'Εν τοῖσιν αὐτοῖς δεῖ μιν ἐξεῦχθαι γάμοις, 'Ελθεῖν δ' ἐς κτλ. ante Bothium, qui interpungendum esse post οὐκέτι arbitratus in sequente versu mutavit τοῖσι δ' αὐτοῖς. Et sic Hermannus, qui in versu 1656 particulam δ' in τ' mutavit, ut totum sic scriberetur:

ἐπεὶ δὲ Τροίας ἐξανεστάθη βάθρα,
καὶ τοῖς θεοῖς παρέσχε τοὔνομ', οὐκέτι·
ἐν τοῖσι δ' αὐτοῖς δεῖ μιν ἐξεῦχθαι γάμοις
ἐλθεῖν τ' ἐς κτλ.

Quod minime probandum est, cum ita v. 1654 sensu careat. Vertit quidem Hermannus: *postquam Helena* (i. e. simulacrum Helenae) *nomen praebuit diis*, atque his verbis exprimi videtur viro clarissimo haec sententia: *postquam simulacrum Helenae a Iunone factum in aetherem rediit;* sed equidem nescio quo modo tale quid ex talibus verbis extricari possit. Huc accedit quod si talem sententiam in mente habuisset poeta, curasset sine dubio ut clarius perspiceretur simulacrum Helenae esse subiectum verbi παρέσχε, cum in antecedente versu βάθρα esset subiectum, in versu 1652 voce κείνην vera Helena significaretur.[4]) Itaque nec sententia nec structura verborum ab Hermanno recte cognita est. Nauckio v. 1654 spurius

1) εἰ ante H. Stephanum.
2) αὐτοῖς ante Nauckium.
3) δ' ante Hermannum.
4) Eadem dicenda sunt contra Rauchensteinium, qui (in Philologo l. l.) veram Helenam vult esse subiectum verbi παρέσχε. Deleta enim Troia deis iam non opus esse nomine Helenae, quo antea ad bellum movendum Priamique populum exstinguendum usi fuerint. Si hoc poeta exprimere voluisset, alia verba in hoc loco legeremus.

videtur, ut coniungatur: ἐπεὶ δὲ Τροίας ἐξανεστάθη βάθρα, Ἐν τοῖσιν αὑτῆς δεῖ κτλ. Sed nec ferro neque igni opus esse putaverim ad hunc locum sanandum, quem ita fere scriptum fuisse ab initio mihi persuasum est:

εἰς μὲν γὰρ αὐτὸν τὸν παρόντα νῦν χρόνον
κείνην κατοικεῖν σοῖσιν ἐν δόμοις ἐχρῆν·
ἐπεὶ δὲ Τροίας ἐξανεστάθη βάθρα,
καὶ τοῖς θεοῖς ἤρεσκε τοὔνομ' οὐκέτι,
ἐν τοῖσιν αὑτῆς δεῖ νιν ἐζεῦχθαι γάμοις
ἐλθεῖν τ' ἐς κτλ.

*postquam nomen deis iam non placebat*, i. e. nomen Troiae, quam evertendam dei statuerant.

16. Antequam Proteo regi Aegypti Helenam Mercurius tradidisset, finxit Euripides Sparta eam sublatam primo in insula Atticae vicina depositam ab illo esse, quae inde nomen Helenae accepisset. Ita Dioscuri referunt a versu 1671:

οὗ δ' ὥρισέν[1]) σε πρῶτα Μαιάδος τόκος
Σπάρτης ἀπάρας τῶν κατ' οὐρανὸν δόμων
κλέψας δέμας σόν, μὴ Πάρις γήμειέ σε,
φρουροῦ παρ' Ἀκτὴν τεταμένην[2]) νῆσον λέγω,
Ἑλένη τὸ λοιπὸν ἐν βροτοῖς κεκλήσεται,
ἐπεὶ κλοπὰς σὰς ἐκ δόμων ἐδέξατο.

